

1° cum humilitate; 2° cum attentione; 3° cum fiducia; 4° in nomine Jesu; 5° cum desiderio impetrandi; 6° cum perseverantia. HINC.

**167.** — I. **Orandum cum humilitate.** — 1° Etenim Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. 4, 6). — 2° « Cor contritum et humiliatum, Deus non despicias » (Ps. 50). — 3° « Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et non discedet, donec Altissimus aspiciat » (Eccli. 35, 21).

**168.** — II. **Orandum cum attentione.** — Aliter, « Quomodo tu audiri postulas a Deo, cum tu teipsum non audias? » (S. Cyprian. *in Orat. Dom.*). Non tamen diffidendum aut desistendum est ob multiplices distractiones, sed resistendum absque perturbatione animi: displiceant tibi, habeto bonam voluntatem, et noli timere.

**169.** — III. **Orandum cum fiducia.** — 1° « Nulus speravit in Domino, et confusus est » (Eccli. 2). Ergo per motiva fidei curandum ut fiducia adaugeatur: « Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis », ait Christus (Matth. 11). Unde communiter docent AA. « mensuram credendi seu fiduciae esse mensuram impetrandi », quoad illam eandemque rem quae petitur. Hinc, caeteris paribus, magis impetrat qui melius credit, seu confidit.

**170.** — IV. **Orandum in nomine Jesu.** — Ad hoc tamen sufficit, ait Scav., si petantur ea quae ad aeternam salutem conferunt, propter quam Christus Jesus factus est mediator Dei et hominum.

**171.** — V. **Orandum cum desiderio impetrandi.** — Hinc 1° Considerandum est quam amorese Deus nos invitat ad orandum: « non nos hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet »; 2° orandum cum fide et desiderio Chananaeae cui audire datum est: « O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis » (Matth. 15): et illius caeci qui magis ac magis clamando: « Jesu, fili David, miserere mei », exauditus est.

**172.** — VI. **Orandum cum perseverantia.** — 1° « Ne deficias in oratione: Deus, quod concessurus est etsi differt, non aufert » (S. Aug.). — 2° « Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicitur: *Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Esto igitur sedulus in oratione: esto in precibus importunus: cave ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, ut regnum coelorum accipias: esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas coelis. Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur, proximus non laeditur, sed juvatur! » (S. Greg. Magn. *hom. 7, in Evang.*). — 3° Ergo *Deus non parvipendit orationem nostram, « et unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod novit utilius »* (S. Bern. *serm. 5 de Quadrag.*). — Meménto quod « orandum est semper, etiam cum acceperimus postulata » (S. Hier. *adv. Pel.*). Semper novae gratiae desiderandae et postulandae.

**173.** — **Status sive dispositiones orantium.** —



Orantes sunt: 1° *vel in statu gratiae*; 2° *vel in statu peccati mortalis, sed cum serio conversionis desiderio*; 3° *vel in eodem statu, sed cum infirmo proposito surgendi ob malos habitus*; 4° *vel in statu peccati conjuncto cum voluntate perseverandi in peccatis*. *Primi*, orando novas semper impetrant gratias quibus in bono et charitate roborantur et perficiuntur.... *Secundi*, facilius surgent, si orantes, ad Deum serio suspirent.... *Tertii*, orantes obfirmabuntur in conversionis proposito, et vires acquirunt perseveranter. Caveant tamen ne despiciant voces divinae misericordiae. *Quarti*, miserrimi dicendi, eorumque oratio quodam modo infructuosa manet, durante pessima perseverandi in peccato voluntate, imo peccant, si postulant res malas. Non tamen debent ab oratione abstinere, sed e contra orent ut concipiant sanctum propositum, orent ut illuminentur, orent ut voluntas mutetur, orent ut maxime timeant non orare....

**174.** — Notandum circa textum *Joan.* 9, 31: « *Peccatores Deus non audit* ». — 1° Hoc non dictum fuit a Christo, sed a caeco nato, et falsa est generaliter accepta propositio, excepto casu quo peccatores Deum invocaverint *qua peccatores*, id est, postulassent aliquid quod ipsos adjuvaret ad peccandum, ut supra indicatum est et expresse docet S. Liguor., etc. — 2° « Orationem peccatoris ex bono desiderio procedentem exaudit Deus, non quasi ex justitia quia hoc meretur peccator, sed ex pura misericordia; observatis tamen quatuor conditionibus,

quae communiter requiruntur ad orationem, scilicet ut pro se petat, necessaria ad salutem, pie et perseveranter; et haec quatuor noscuntur in uno versu Prophetarum cum ait: *Apud me oratio Deo vitae meae; dicam Deo: susceptor meus es*: per hoc enim quod dicit *Deo*, involvitur pie; per *vitae*, ad salutem; per *meae*, pro se; per hoc quod dicit *dicam*, perseverantia notatur, propter propositum de futuro » (S. Bern. *in Rogat.* c. 7). — 3° « Etiam ea quae non meremur, orando impetramus » (S. Th. 1, 2, q. 114, a. 9, ad 2). Etenim « meritum innititur justitiae, sed impetratio innititur gratiae » (id. 22, q. 83, a. 16, ad 1). Aliunde « ipsa oratio familiares nos Deo facit » (id.), et « quod non perficit amicitia, perfectum est ab oratione » (S. Chrysost. *hom.* 56).

**175.** — **Efficacia orationis.** — I. *Oratio habet vim infallibilem impetrationis*, si serventur sequentia: 1° petantur necessaria vel utilia ad salutem; 2° postuletur pie, ad quod reducitur firma fides, spes et fiducia impetrandi; 3° servetur ordo Evangelicus, postulando primo bona animae, secundo bona corporis ad salutem conducentia; 4° postuletur perseveranter; 5° postuletur pro se. Etenim constat ex claris Scripturae verbis: *Petite et dabitur vobis*, etc. — II. *Oratio pro aliis facta non semper habet effectum certum*, ob impedimentum ex parte illorum pro quibus petitur. Dicendum tamen cum S. Basilio, etc., quod oratio valet etiam pro peccatoribus, qui ideo impedimentum ponunt, modo obstinati non sint, juxta illud Joannis 1, c. 5: « qui scit fratrem



suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem ». Nunquam tamen de peccatore desperandum, sed quo miserabilior, eo ferventius pro illo orandum est. Dicamus ergo corde, dicamus ore, dicamus orationibus omnibus peccatoribus, quantumvis pessimis: « Peccasti? poenitere: iterum peccasti? iterum poenitere: millies peccasti? millies poenitere...: dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiamsi dici potes animam efflans, etiamsi ex hoc mundo exeas, non impeditur temporis angustia misericordia Dei » (S. Chrysost., *hom. 2, in Ps. 50*): ac proinde pro nobis, et pro omnibus viatoribus quantumvis peccatoribus orare non cessemus. — III. Oratio recte facta est meritoria pro orante justo, et quidem *de condigno* (si peccator, *de congruo*). Ex Trident. est etiam satisfactoria. — Cfr. *Th. Dogm.*, ubi de merito, etc.

#### ART. III. — De Oratione Vocali speciatim.

**176.** — **Scopus orationis vocalis**, ut constat ex dictis, est *laudare* Deum et sanctos ejus; *gratias agere*; *gratias postulare*; *varios virtutum actus exercere*, aut illos exercendos proponere. Hinc merito ait S. Ambros. (l. 2 *de Sacram. c. 5*): « Oratio inchoari debet a Dei laude, deinde habere debet supplicationem, tertio postulationem, quarto gratiarum actionem ». — Haec autem omnia qui pie et devote vult orare, facillime adimplet, ac proinde non

inquietandus. Devote orando, Deo reverentiam exhibes, illum honoras, tibi que faves.

**177.** — **Oratio vocalis sit moderata, ac regulata juxta proprii Directoris judicium, habita etiam ratione obligationis proprii officii et indolis orantis.** Hinc. — 1° Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. — « Multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis: multum autem precari, est ad Deum, quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare: nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu quam afflatu » (S. Aug. *ep. 121, ad Prob. c. 10*). — 2° « Multum enim in oratione loqui, mentem saepe imaginibus illusit, intentionem dissolvit » (S. Joan. Clim.). « Melius est autem cum silentio, corde, sine sono, quam solis verbis sine intuitu mentis orare » (S. Isidor.). Ergo, « si non potes semper ore orare, ora spiritu et mente, ora desiderio et pia intentione » (Kempis, *hort. ros. c. 12*). — **NOTA:** 1° Non approbandi, qui orationes vocales ita multiplicant, ut in illis recitandis agitentur, et quasi currant veluti timentes ne aliter *ad terminum imprudenti modo praemensuratum* non perveniant. Inter omnes orationes vocales praeter preces publicas in Ecclesia peractas, noli unquam negligere quotidianam recitationem SS. Rosarii (saltem 5 decad.), et aliarum vocalium precum, quae ita ordinate, moderate et serio fiant, ut pietatem foveant, animam consolentur, etc. — 2° Fixam habeto vocalium precum normam, et



quamvis minima sint obsequia, saluberrima tamen tibi erunt, si constanter fiant. Praeter assignatas preces, corde et ore, aut saltem corde, multiplica per diem jaculatorias, et valde proficies. — 3° Ergo fugiendus non solum excessus, sed etiam defectus in orando vocaliter.

**178.** — **Modus optimus orandi vocaliter.** — Orandum vocaliter: 1° *reverenter*, quoad situm corporis; 2° *distincte et absque praecipitatione*, quoad vocem; 3° *attente*, quoad memoriam; 4° *intelligenter*, quoad intellectum; 5° *ardenter et devote*, quoad voluntatem. HINC 1° pronuntientur nomina Jesu et Mariae, cum interna reverentia speciali. — 2° Deo gratias, miserere nobis, et similia dicantur ferventius. — 3° Habeatur voluntas generalis et seria perfecte orandi, sed attentio fiat quodammodo specialissima ad quasdam orationis partes, ut, v. gr. ad nomina Jesu et Mariae. — 4° Debemus non solum servare convenientem externum modum pro publicis orationibus; sed expedit principales preces nostras peragere in silentio ecclesiae, oratorii vel cubiculi. Attamen *nullus locus debet nos impedire ab habitu orandi, praesertim per brevissimas oratiunculas* vel etiam internas jaculatorias. Merito ergo in hoc sensu ait S. Chrysost. (*hom. 79, ad pop. Antioch.*): « Non est quaerendus locus ut ores, sed loci principium: Hieremias erat in coeno, et Deum exoravit; et Job erat in stercore, et Deum reddidit propitium: Jonas in ventre coeti, et facilem habuit. Licet in balneo sis, ora; ubicumque sis, ora ». Et S. Bern.

(*Medit. c. 6*) addit: « Ubicumque fueris, intra te metipsum et ora: si longe fueris ab oratorio, noli quaerere locum, quoniam tu ipse locus es; si fueris in lecto, aut in alio loco ora, et ibi est templum ».

**179.** — **Dignitas orationis vocalis.** — I. « Opus angelorum est Deum semper laudare, opus religiosorum est intenta mente psallere » (Kempis). — II. « Quicumque fideliter et intenta mente psalmos decantat, quodammodo Angelis Dei sociatur » (S. Bern. *serm. 52*). — III. « Magna quippe dignitas orationis; mox ut ab ore processit, suscipiunt eam Angeli manibus suis, et offerunt Deo » (S. Chrysost.).

**180.** — **Oratio publica valde laudanda, sive talis sit stricte sive late.** HINC 1° « Ideo congregamur in solemnitatibus, vel processionibus, ut ab invicem inflammemur et oratio ascendat ad Deum » (S. Vinc. Ferrer.). — 2° « Haec vis Deo grata est. Coimus in coetum et congregationem, ut ad Deum quasi facta manu precationibus ambiamus » (Tertull. *apol. c. 59*). — 3° « Congregate illic Sanctos ejus, ut illi simul pro nobis intercedant: quod enim Dominus uni Sancto (i. e. viro pio) forsitan negaret, omnibus congregatis et orantibus non negaret » (Hugo Card.).

#### ART. IV. — De Oratione mentali speciatim.

**181.** — **Notandum.** — Jam actum est passim de Jaculatoriis, quae quidem interius exteriusque fieri possunt. Sed nunquam satis adhortari possumus, omnes devotos ad illas adhibendas quam fre-



quentissime, praesertim internas quae faciliores in variis circumstantiis evadunt. Dicit ergo frequenter saltem corde: Jesu! Jesu! Maria! Diligam te Jesu! diligam te Maria! Peccavi, parce Domine! Deus in adjutorium meum intende! Fiat voluntas tua! Coelum, coelum! O Jesu, quando satiabor in patria! Deo gratias! Et alia similia. — *Agendum hic de meditatione.*

**182.** — **Scopus meditationis** est 1° *Deum colere* et Sanctos honorare; 2° *intellectus illustrationem quaerere*, ut Deo melius in propria nostra conditione deservire valeamus; 3° *voluntatem excitare* ad bonum faciendum, malum fugiendum; 4° *fervorem charitatis*, ut per meditationem exardescat ignis. Unde meditatio merito dicta est: «vehemens cordis applicatio ad aliquid investigandum et inveniendum fructuose» (Joan. Gerson.): cui concordat Dion. Carth. dicens: «Meditari de Deo, est interius seu intellectualiter loqui cum eo, vel de eo». NOTAT idem Auctor: «*Differunt cogitatio, meditatio et contemplatio*: cogitatio vagatur et serpit sine labore et sine fructu. Meditatio nititur, et incedit cum labore et cum fructu. Contemplatio autem circumvolat et circumfertur sine labore et cum fructu». Attamen contemplativi non sunt otiosi in viis Domini, cogitantes absque ulla reflexione parum proficiunt, meditantés dici possunt etiam qui in momento aliquam affectuosam efficiunt precatiunculam. Meditationem tamen hic principaliter sumimus pro diuturniori exercitio mentalis orationis.

**183.** — **Conditiones** ad fructuosam meditationem sunt: 1° *Praeparatio remota* per fugam evagationis seu dissipationis, et studium lectionis spiritualis quotidianae; 2° *Praesentia Dei*: «omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum» (*Job.* 4, 6); 3° *Praeparatio proxima* et recollectio animi; 4° *Lectio* (vel juxta multos relectio) materiae meditandae; 5° *Ponderatio discursus* et affectus cum proposito; 6° *Gratiarum actio*; 7° *Oblatio*; 8° *Petitio*. — Alii alias assignant conditiones, quae omnes reduci possunt ad praeparationem, considerationem, propositum et petitionem.

**184.** — **Materia meditanda.** — I. *Pro via purgativa*, materia principalis sunt tres: *novissima, gravitas peccati et miseriae humanae vitae* ut anima mundo moriatur et Deo nascatur. — II. *Pro via illuminativa*, divina beneficia, praesertim *mysteria Dominicae Passionis*, ut anima crescat in charitate et virtutibus ornetur. — III. *Pro via unitiva*, divina attributa quae Dei infinitam bonitatem manifestant, et nos ad majorem charitatem quaerendam inducunt. *Attamen recte notant mystici* quod 1° meditationes unius viae inservire possunt etiam pro alia via. Sic. v. gr. per meditationes viae purgativae potest anima concipere affectus magni amoris erga Deum. — 2° Bonum est ut anima redeat aliquoties ad exercitia aliarum viarum per quas jam ambulavit. — 3° Rectissime in variis communitatibus quotidie fere una ex duabus consuetis meditationibus versatur circa Christi Passionem, et in tali meditatione omnes



(in quacumque sint ex tribus viis perfectionis) exercentur. Horror peccati, virtutis efficax desiderium, charitatisque fervor maxime et facile habentur per saluberrimam considerationem Passionis et Mortis D. N. J. C.

**185. — Brevis methodus meditandi.** — 1° Actum contritionis et adorationis elicitio; 2° divinum auxilium invoca; 3° considera materiam praelectam vel antea praeparatam; 4° colloquia institue interna, seu affectus utiles excita; 5° postula beneficia et favores pro te, pro tuis, pro animabus purgatorii, etc.; praesertim postula gratiam perseverantiae, seu bonae mortis. Vel, juxta alios, post praeparationem breviter faciendam, considera et interius dicito. Quid? id est, recogita materiam, v. gr. quis patitur? Christus, Deus meus, Rex meus, innocentissimus Jesus.... — Cur? propter me patitur, propter miserrimum et ingratum peccatorem.... — Cur? ut salvus fiam, ut cum ipso in coelo regnare possim.... — *Ergo, quid facere debeo?* peccata deflere, poenitentiam agere, occasionem N. vel defectum N. vitare, ut « tantus labor non sit cassus », etc., etc.... — *Ergo, adjuva me Deus*, per merita B. M. V. et Sanctorum, praesertim N. N. — Similiter circa innumera objecta tali modo discurrere poteris, v. gr. *Quid est coelum? Cui datur et dabitur? Cur dabitur?* (ob paucos labores...). *Ergo quid faciam?* (fugiam peccata, indefesse laborabo...). *Ergo adjuva me Deus meus*, scis enim quam miser fui, quam debilis sum, etc., etc. — Nota ubi cor tuum pabulum invenit aliquid con-

siderando, illud degusta (nec ad alia progrediaris) et uberrimos affectus et fructus ex ipso deducere cures, et Deum invoca, nec a meditatione discedas, antequam petitiones tuas per brevius vel longius temporis spatium juxta cordis et fervoris statum compleveris. Cave tamen ne ob pabuli absentiam, tempus exercitio meditationis assignatum minuas: multum enim jam proficis ex eo quod perseveras in illo.

**186. — Monita.** — I. Inter tot normas meditandi ab asceticis et mysticis exhibitas, expedit ut devotus, de sui Confessarii seu Directoris consilio, eligat illam quae ipsi faciliorem reddit et utiliorem meditationis praxim; et *generatim loquendo*, religiosi utilius adhibent normam a Patribus proprii Ordinis communius traditam et propositam. — II. Caveant tamen Confessarii et Directores ne omnibus eorum moderatione utentibus, imponant excessive uniformem et quasi immutabiliter mensuratam normam. Non debent ergo omnes eadem forma et figura quasi plasmare, sed serio considerare quid unicuique magis convenit, nec eodem modo *semper meditari* poterunt homines rustici et imperiti, ac sapientes et in rebus spiritualibus instructi, etc. *Attamen*, his praenotatis, utillimum est aliquam fixam methodum discipulis tradere, ut etiam cum labore et difficultate quasi constricti, facilius vitare possint divagationem et inconstantiam, modo discipuli non alligentur immutabiliter eidem normae ipsis exhibitae, si quando ipsos magis proficere habitualiter perspiciatur alia adhi-



bita norma. — III. Omnis qui in via perfectionis vult ambulare et proficere, debet totis viribus incumbere *quotidie, tempore opportuno et determinato*, meditationis exercitio, et Directores debent ad hoc multum invigilare. — IV. Saepe juvat ad fervorem meditationis hinc inde adungere orationem vocalem, saltem per vocales jaculatorias.

**187.** — **Varia.** — I. *Recordandae sunt radices distractionum*, quae sunt: 1° imaginatio; 2° sensus externi; 3° passiones; 4° ingenium pravum, inquietum, curiosum; 5° magister imperitus (in hoc iudicando non sit facilis discipulus, nec sibimetipsi facilliter credat); 6° probatio Dei; 7° tentatio daemonis.

II. Lectio inquirat, meditatio inveniat, oratio postulat, contemplatio degustat (S. Aug.).

III. Nihil tam efficax, ad curanda conscientiae vulnera, necnon ad purgandum mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio (S. Bern.). — Summa philosophia est assidua mortis meditatio (id.).

IV. Omnis meditationis verae finis et fructus est Deo adhaerere, et unum cum Deo spiritum fieri (Dion. Carth.).

V. O felix meditatio! intus ardens, foris lucens, sursum ducens. Amando, interius inardescit; orando, foris elucescit; suspirando, quae sursum sunt concupiscit (S. Bonav.).

VI. Loquere Deo multa et hominibus pauca: legis vero meditatione, utraque recte dispones (S. Nilus).

VII. « Absque meditationis exercitio, nullus secluso miraculo Dei speciali, ad perfectionem contem-

plationis dirigitur aut pervenit » (Gerson. *de med. consid.* 7); id est, omnis qui vult pervenire ad contemplationem, effici debet multum meditativus, non neglectis proprii officii obligationibus. E contra, « meditatio si debite fiat, transit in contemplationem, sicut cogitatio in meditationem » (id. *Myst. theol. consid.* 24); id est, qui bene meditatatur, pervenire poterit ad contemplationem. Quae omnia melius explicantur ubi de contemplationis divisione. Notat tamen S. Theresia (*itin. perfec.* c. 8), quod aliquae animae debent semper deteneri in meditatione, quia non habent capacitatem ad aliud, et addit ad ipsarum solatium, quod fieri potest ut tales majores et perfectiores sint coram Deo, quam aliae altam possidentes contemplationem.

## REQUIES ANIMAE.

**Mariam cogita.** — S. Birgittae dixit S. Joannes Baptista: In quacumque necessitate fuerit homo, si Coeli Reginam Matrem Dei toto corde invocaverit, salvabitur (l. 1 *Revel.* c. 31).

**Mariam invoca.** — Sancta Maria, succurre miseris; sentiant omnes tuum juvamen. « Tu merito Mater charitatis es, quia omnes visitas charitate » (*ibid.* l. 4, c. 74).

**Mariam laetifica.** — Ferventer orando; perfectionis negotia serio considerando, et disponendo in te et in discipulis tuis. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildel.).